

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Daniel Georg Morhof

**Memoria Viri Nobilissimi, Amplissimi, Excellentissimi & Consultissimi Dn. Henrici
Rahnii, Icti & Antecessoris in Academiam Rostochiensi Senioris Celeberrimi
Consistorii Ducalis Assessoris gravissimi Publica Oratione celebrata**

Rostochii: Kilius, 1662

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn78926658X>

Druck Freier  Zugang



Morhof, D. G.
in
H. R a h n e.

Rostock, 1662.

MEMORIA
VIRI

*Nobilissimi, Amplissimi, Excellentissimi
& Consultissimi*

**DN. HENRICI
RAHNII,**

JCTi & Antecessoris in Academia
Rostochiensi Senioris Celeberrimi
Consistorii Ducalis Assessoris
gravissimi

Publicâ Oratione celebrata

a



DEANIELE GEORGIO MORHOFIO
U. J. D. & Prof. Publ.



ROSTOCHII,
Literis JOHANNIS KILI, Acad. Typogr.
ANNO cIc LXII.

V I R O
Amplissimo & Excellentissimo
**DN. MARTINO
COLLERO,
U. J. D. Consultissimo, Domi-
no & amico suo colendo**

Nec Non
Præstantissimis & Ornatisimis
DN. CONRADO }
DN. LAURENTIO } RAHNII
CHRISTOPHORO } Fratribus
JOACHIMO }

Inscribit

Autor.

DANIEL GEORGIUS MORHOFIUS.

J. D. & Poëf. Prof. Publ.

L. B. S.



Ivimus non tam eâ parte quâ animalia sumus, quam quâ homines. Quod enim aërem reciprocamus, quod telluri insistimus, rerum imagines oculis recipimus, quod cibo & potu corpus nutrimus, non tam spectat ad nos, quam ad instrumentum nostrum, quo animus architectus utitur; non tam ad mentem Dominam, quam ad membra menti famulantia. Omnia enim alia tunc potius agimus quam nostra. Adeò cuncta in nobis immortalia, quod vero mortale vulgo putatur, ad nos non pertinet, sed ad Terram, cui corpore illa portio redditur. Vita Sapientis mors est corporis, & vita animi. Animus autem tum vivit, quando à corpore secedit & Ἰερῷ; Ἰερῷ vero, quando supra omnia terrena extollitur, & ad Deum rectâ exit, Πτ̄η τὴν νοητὴν πάγα αἰδίον φύσιν, ἢς Ἰερὰ τέλεσθαι φιλοσοφίας, οἷον ἐπιτέλα πλεῖτες, ut præclare Plutarchus in Symposiacis. Nec aliâ ratione Platonis Philosophia constat. Tradidit enim ille omnium Philosophorum Phœnix & humanæ sapientiæ compendium: Philosophiam veram esse meditationem mortis, nec philosophari quem posse, nisi semper moriatur, id est: nisi se à corpore abducatur ejusq; usū abdicet, quod quomodo agendum, præclaris ille præceptis docet. Tum mentem nostram cum Deo conjungendam, obstaculaq; illa, Corpus scilicet & Terram, Cœlo inimicam, amovenda, idq; agendum esse, ut quantum fieri pos-

Jo(

sit, Di-

fit, Divini & Deo similes reddamur. Quid quæso diversum docet ab his perennis illa & æterna Christianismi Philosophia? jubemur abnegare nos ipsos, mundum odisse, Terram & terrena omnia relinquere, omnia quæ mundo bona existimantur negligere, quod & Plato agnovit: Τὰ λεζόμενα ἀποδιά, inquit πάντα φθέρει καὶ δυστοπή; jubemur voluptates corporeas extirpare, carnem nostram crucifigere. Idem quoq; Hermes ter maximus ait: Εὰν μὴ πέσων τὸ σῶμα σὺ μισήσῃς, ὁ τίκνον, σε αὐτὸν φιλήσου & δύνασαι. Atq; ut verbum verbo respondeat: Mori nobis; vivere in Deo. Vivendum scilicet est in hoc mundo, quasi ille ad nos non pertineat. Si mundum appellas Cœlum, aërem, terram; sic nemo non in mundo vivit: Si ambitionem, cupiditatem, libidines mundum dicas, profecto si mundanus es, Christianus non es, & nequidem Vir Bonus. Hæc itaq; æterna illa & vera sapientia, omnisq; Philosophiæ finis est: Unitatis intuitus, quod Jamblichus de Pythagoreis. Τῷ ΕΝΟΣ θεωρητικῷ, ὅπερ τίλτῳ οἱ αἰῶνες θεοῖς; illius qui est πᾶν τὸ γέγονος, καὶ ὄν, καὶ οὐδὲνον, quod in Ægypto templo Minervæ inscriptum refert Plutarchus: De Iside & Osiride. Et quam divinè hæc persequitur Simplicius! Εἴ τι, inquit, εἰδεῖς τὴν θεῖαν ὑπεροχὴν σέβεις αὐτὴν μάλιστα διαθερμάνει καλῶς εἰς τῆς τῶν ὑπὸ αὐτῇ γενομένων ἀκεββάτες κατανοήσεις εἰς θεῦμα καὶ μεγαλεούσης οὐ πιήσει τῷ αναγέργον. Τῷ δὲ θεύματι η̄ περὶ τὸν θεὸν αὐτοπάθεια, καὶ πάντας καὶ εἶλπις ἀσφαλεῖς συνανθελονθήσονται. Præ hæc divinâ sapientiâ iānθρωπîνον οὐφία ἀλιγά ἀξία δὲν καὶ δενδεις, quod Socrates in Apologiâ. Hæc illa Pietatis Philosophia est, de quâ in Epinomide Plato: μεῖζον μὲν ἀρετῆς, μηδεὶς πόπερ ἔχει τῆς ἐνοτεῖταις ἀνατολῆς. Ejus Philosophiæ sectatores Viri divini ab illo vocationes & θεοιδεῖς & imaginem illam diuinam secum circumferentes. Nunquam ergo Sapienti Viro mors gravis esse potest, qui nil aliud agit quotidie, quam quod moriatur, nil aliud intendit, quam ut suavissimam illam quietem, quam jam tum.

jam tum à corpore suo sejunctus experitur, cum morte ipsā
continuet, sine ullo doloris metusve sensu, qui superesse nul-
lus potest, quia tum verè cum Deo & superis sociatur & o-
mnia penitus intuetur. Dura inquit Socrates mihi mors vi-
deretur; ἐπεὶ μὴ ὡς μην ἔχειν πεῖστον μὴ παρεγένεσθε τὸς θεοῖς αἰλαγεῖς οὐφύεις τα-
νεῖς ἀγαθοῖς (Genios intelligit) εἴ πειτα καὶ ταῦτα ἀνθεώπους πεπλευτη-
κότας ἀμείνων τῶν εὐγενῶν. Illos vero, qui in hāc vitā philosopha-
tinon fuerint, id est: qui à corporeis voluptatibus puri hīc
non vixerint, à præclaro superorum excludit consortio, & ad
Tartara damnat. Vere illi miserī, qui ita vivunt in hāc vitā,
ut nunquam moriantur, & qui ita corpori immoriuntur, ut
nunquam vivant. Illi omnes hujus mortalis vitæ calamita-
tes ad animum admittunt, quas sapiens ne sentit quidem.
De illâ vitâ audias illas sapientum querelas: *Quid βίος nisi
βία? Quid σῶμα nisi ζῆμα? Quid χρῶμα nisi πτῶμα?* Quid de-
mūs nisi δεσμὸς? *Quid γένεσις nisi έτος τὴν γῆν ὁσιεῖ?* De hāce ele-
gantissimum Arabum proverbium est. *Vita nostra Somnus*
est, & *Mors vigilia: homo vero inter illa duo instar spectri noctu incep-
denter.* Excitandus itaq; animus est & liberandus à corporis
vinculis, ut dum vivimus, mori discamus, sine quā morte sa-
pientes & salvi esse non possumus, & ne quidem homines. O
artem artium! O æternam Philosophiam & plane divinam!
quam primò quidem ex immenso illo omnis Sapientiæ Ocea-
no haurimus, & dein à vitâ & morte virorum illustrium
discimus. Nam quis non apud Platonem excessum Socratis;
quis non quæ à M. Tullio in Crassi, Hortensii, Sulpicii obitus
ac laudes dicuntur; quis non apud Tacitum Senecæ ac Pæti
è terris exitum summâ & plusquam humanâ perfusus volup-
tate legat? Sed cur illud, quod in Gentilibus miramur, ab ex-
emplis nostrorum non petimus? Et ecce vobis in medium
profero Virum, dum viveret, *Nobilissimum, Excellentissimum &*
Consultissimum DN. HENRICUM RAHNUM Antecessorem,
Seniorem

Seniorem celeberrimum, & Ducalis Consistorii Assessorem gravissimum,
quem ante menses tres, incomparabili nostro damno, amisi-
mus, & cujus memoriam nullum unquam seculum annali-
bus nostris, nulla unquam ætas nostris & posteriorum animis
ejiciet. Ita quidem ille vixit, ut vita ejus pro exemplo con-
summatissimo esse possit; ita mortuus est, cum viveret, ut
jam, cum moreretur, non sit mortuus. Habebatis in illo ve-
ram illam & non fucatam mortis Philosophiam, qua ipse etiam
vivens se corpori suo subduxit,

Cœtusq; vulgares & uadam
Sprevit humum fugiente pennâ.

Nos, quod unicum tantum possumus, ultima persolvemus
illi, quem & annis, & Professorii munera diuturnitate, facile
etiam prudentia & doctrinâ, primum inter nos habebamus.
Quod cum pro amore illo, quē Venerando Seni deboeo, ingenio
quidē & facundiâ minori, sed affectu & pietate maximâ futu-
ro die Jovis qui est XXVI. dies Junii, hora IX. in auditorio majo-
ri Oratione publicâ tento, proinde ad celebrandam tā cari
capitis memoriam Magnificum Academia nostrâ Rectorem, Admo-
dum Reverendos, Nobilissimos, Consultissimos, Excellentissimos, Expe-
rientissimos, Clarissimos Dominos Professores, Doctores, Licentiatos,
Verbi Divini Ministros, Philos. & Artium Magistros Nobilissime de-
nigè Studiose juventutis coronam officiose & peramanter, non-
tā meo, quā Beatè defuncti nomine invito. Vos vero, quorū
plurimi vivo illo præceptore usi estis, nunc quoq; id discere
ne spernite, quod mortuus ille vos docere possit. Et ego
quidem meo nomine humanissimè à vobis hoc officii
genus rogo, pro favore autem illo, quo ~~uane~~ ^{magis} erit
nostrum prosequimini, contendeo.

Valete. Scribeb.

XXII. Junii. ANNO clo Ibc LXII.



Quod



Uod cum omnium bonorum luctu pronuncio: HENRICUM RAHNIAUM, quem nunc eheu! extremum sine titulis nominio, quia titulos ille omnes antecessit, menses tres labuntur, cū extulimus, & tumulo condidimus. Quanquam quid dixi tumulo conclusum esse? cujus tantum corpus, in quo habitavit id quod quisq; sumus, ut loquuntur Platonici, non tam partem ejus, quam instrumentum humavimus. Excessit ille, quemadmodum de se morti vicinus Leontinus Gorgias ajebat, sublestâ quâdam & fragili domo, quam ille non propriam sibi, sed locatam, atque adeo nec quicquā ad se pertinentē lubentissimè reliquit. Nobis vero, quos absentia tam cari capitum affigit quam maximè, mœror inexhaustus animos tenebricosâ quâdam nube involvit, & quem tanto amore prosecutis sum⁹ omnes viventem, ejus jam in omnium nostrū animis tristissimum resedit desiderium. Qui nunquam sibi, sed omnibus vixerat, nec sibi jam, sed nobis omnib⁹

A 2

mortuus

mortuus est. Nostra hæc & Academiæ nostræ calamitas est. Neq; enim satis erat conflictari illam perpetuis quibusdam & in ipso sinu natis incommodis ; sed post celeberrimorum virorum jam aliquot annorum, spatio obitus & abitus , hoc tam immensum doloris immensi augmentum accedere insuper debebat. Vobis, Senatores Academicæ, Vobis, Antecessores Amplissimi, Vobis, Sacri Senatus Adseffores venerandi, intolerabile præprimis videbatur, alienissimo tempore vestro , orbari Seniore , adiutore , amico , collegâ , socio, cuius perspectam fidem, in maximis momentis negotiis expediendis industriā , & puram illam ingenuam & simplicem probitatem integratemq; habebatis ex tot annorum consuetudine examissim cognitam. Apud ipsum adeo vulgum nemo tam vulgaris, in ipsa plebe nemo tam plebeius, cui non doloris acerbissimi sensus animos moverit, & lacrymas etiam expresserit. Habet hoc peculiare atq; insitum omnibus numeris absolute virtus, ut, cum in admirationem sui rapuit omnes viva atq; superstes; ex oculis sublata inexplebile relinquit desiderium: aut si ob crebriorem consuetudinem vilior habita sit, quod fieri vulgo solet, prolixa animos subire pœnitentia, & negligentia suæ damnatio soleat; Ipsa etiam invidia, cum obloqui amplius non possit, maiorem deinde & illustriorem gloriae facem succendat. Vix recepit Socratem fama, ait Seneca, quamdiu Catonem civitas ignoravit & respuit, nec intellexit, nisi cum perdidit.

Quam

Quam multorum profectus in notitiam evasere post ipsos?
quam multos fama non excepit, sed eruit. Quemadmodum
Sol ille, qui quotidie nostris obversatur oculis, cum su-
per verticem nostrum moratur, & lento incedit passu,
non adeo pulcher videtur, quam tum, cum præcipitato
cursu in occasum ruit: major enim tunc se nobis of-
fert, quo est interitui vicinior, eoq; habetur gratior,
quando ex instanti svavissimi luminis defectu ætheriae
lucis pulchritudo perpenditur. Sic summorum viro-
rum, qui in orbis & virtutis exemplum nati sint, tum
demum, cum à nobis abiere velabituri sunt, effulgere
dignitas incipit, & viva tum præstant exempla etiam
defuncti. Tum illi in ore, tum in animis, tum in votis o-
mnium. Tum vitas illorum, singulaq; vitæ momen-
ta, acta, negotia scrutamur avidè, ut & nostram inde
instituamus, & ex ipsâ illorū morte discamus, quemad-
modum ex hâc vitâ discedendum sit: quæ quidem be-
ne moriendi ars tam præclara est, ut sine illâ ne vita qui-
dem summâ suâ probitate laudabilis, nec probitas
ulla sit, quæ sine illâ consistat. Et interest profecto
publice, virtutes summorum virorum nosse, interest
vitæ & mortis illorum historiam non ignorari, interest
exempla illorum legi & publico præconio celebrari.
Quod Græcia & Roma militibus pulchrâ in ipso prælio
morte extinctis non denegavit humanitatis genus, an-
illud togatæ militiae nostræ antesignanis non persolve-
mus officium? Non aliâ de causâ hanc ego Cathedram

infelix præco ascendi. Cujus corporante menses aliquot honorem extremum exhibuimus, illius nunc animum ejusq; imaginem, cum solis tantum animis videri possit, verbis et sermone depingemus. Celebrabimus non tam mortualia nostri RAHNII, quam Genesia seu natalitia festa, quæ quondam in obitu piissimorum hominum, eò quod mundi calamitatibus denati, ad alteram vero & æternā vitam renati fuerint, à prisca Ecclesiâ culta fuisse memoriae proditum est. Laudabo vobis; sed quem jam ipsi laudatis, adeoq; encomia mea anticipatis, JURISCONSULTUM, an dicam Celerrimum? Sed fama saepe pessimè de virtute judicat; an Nobilissimum? Sed multos etiam vitia sua nobilitant, dicam & dixi omnia, BONUM, ANTIQUI MORIS FIDEIQUE EXEMPLUM. Mihi vero, qui hoc in me suscepit negotium, nec mens neclingua satis officium suum facit. Adeò mihi à dolore illo confirmatus animus nondum est, ut nec trimestre illud tempus, quod post obitum Nostri elapsum est, paratum satis ad hoc subeundum opus invenerit. Sed etiamnum difficulter luctus loquitur, qui ne minimâ quidem sui parte exhaustus est, et non nisi interruptos quosdam sermones, & vix tantâ viri memoriâ, vix tanto auditorio dignos minatur. Nam cum causæ lugendi singulis sint singulæ, dum alii vel Seniorem, vel Collegam, vel Præceptorem, vel Amicum deplorant; ego præter hæc omnia, quæ in me unum singula concurrunt, quasi alterum.

rum quendam Parentem & maximum Patronum, & si
quid hospitii etiam addit jus, Hospitem charissimum
lugeo. Et absq; omnibus his si esset, quid sperare de
facundiæ meæ tenuitate ausim? quæ cū aliæ tam sit exi-
guæ, dolore ipso magis magisq; retunditur. Quâ tamen
si vel maximè pollerem, mallem potius nunc sordido il-
lo & pullo uti dicendi genere, quam bullato illo & am-
pullanti, niorem imitatus militum, qui cum ducibus suis
eunt exequias, arma sua inversa in terram convertunt
potius & sub vestib⁹ celant, quam illorū ostentatione
se jactant. Adde, quod uti ab animo piè defuncti
omnis aliena fuit jactatio & vana affectatio; sic nec me
illis Rhetorum pigmentis in recensendis summi Viri
laudibus, non nisi probitatem summam & exquisitam
nobilissimamq; simplicitatem, quam in L. Domitio Vel-
lejus laudat, præ se ferentibus, uti conveniet. Præstet
pietas, quod non potest eloquentia. Sufficiat Virtu-
tum cōmemoratio, si indigna sit nostra commendatio,
& quemadmodum calculatores ingentes summas
notis brevioribus exprimunt; ita & ego Virtutes ejus
signabo, non eloquar, attentionem non tam ab oratio-
ne ipsâ, quam à beatissimi nominis memoriâ, & since-
ro omnium vestrūm favore exspectans.

Solent Auditores honoratissimi, mercatores mer-
cib⁹ suis pretiū præprimis à loco illo, unde advectæ sunt,
conciliare. Sic in auri laudibus est, vel Arabia, vel Iberia,
vel Hun-

Hungaria, Marmora commendat Sparta, Thasos, Paros,
Gemmarum pretium auget Erythra, India, Equos lau-
dat Thessalia, Canes Epirus, vel Molossia. Sit viliorū
illarū rerum à Patriā æstimatio. Mens nostra divinior est,
quā ut terrestri aliquo ambitu includi debeat. Audiant
Pœni perfidi, Alexandrini fallaces, Hispani tumidi, Galli
leves. Quorundā hæc sunt vitia, non omniū. Astris domi-
natur sapiens, cur nō & terris? Neq; enim terræ sum⁹ fi-
lli; sed cœli. Quà patet tota hæc Universi machina, quà
oculus noster circumspicit, quà cogitationes nostræ
se extendunt, omne hoc patria nostra est, omne hoc ut
suum complectitur, omne hoc puncti instar compre-
hendit magnus animus. Cum vero inter laudes etiā sum-
mo rum virorum vulgo referatur Patria, & Rhetorum
leges quoq; hujus mentionem præscribant, habebimus
& nos quam maximè, quam in Nostro laudare possu-
mus. An exiguum hoc primo putatis, quod Germanus
fuerit? quæ quidem Germana dicam, an humana natio
adeo nullum præ plerisq; invenit opprobrium. I.C. Scali-
ger cum in incomparabili de Re poëticâ opere omni-
bus propemodum populis ingenium suum assignat, et
sua singulis virtutibus probat, adeo nihil in Germanis, quæm
quod laudari tantum poterat, invenit. Nos vero quamvis
in multis Germanorum Germanum hodie chara-
cterem et notam gentilitiam desideremus, huic tamen
Nostro indubium venerabilis majorum nostrorum
genii

genii antitypum asserimus. Præterea Germaniæ regio
præclarissima, quam Cherusci olim inhabitaverunt,
gens supra fidem bellicosa, & Arminio Duce maximè in-
clita, quæ immensam Romanorum potentiam fatigavit
ferè sola, & in illâ metropolis Brunsviga, laudatissima
maximorū ingeniorū nutrix, & quæ merito sibi ob edi-
tum hoc orbi pignus gratulari debeat, in lucem edidit
anno hujus seculi primo. Ut Patriam, sic & Parentes na-
ctus est se dignos, uti illi filium se dignum, patriæ indo-
lis heredem, familiæ ornamentum, Cœli incrementum,
animiq; genitoris illustre compendium. Quemadmo-
dum enim stolidos illos semper existimavi, qui ut no-
bilitatis sibi aliquam lucem acquirant, è fumosis majo-
rum vultibus & semesis veterrimorum saxorum titulis
anxiè illam inquirunt: ita affectatè superbos reputo,
qui ut majoribus suis maiores videantur, arrogantiâ
quâdam nativitatis suæ decus contemnunt. Non est
profecto de nihilo Euripidis illa sententia: Nihil esse
tam honorificum liberis quam bonis & honestis natos
esse parentibus. Est quâdam divinior generosis insita
animis virtus, quâ rapitur ad similitudinem suorum ex-
cellens quæq; natura, per venas infunditur, per spiritus
inspiratur, lacte ipso imbibitur. Quemadmodum enim
nō omnis fons Nilū fundit, nec omnis arbor fert uvas; ita
nō nisi præclarâ origine, quod præclarū est, erūpit. Nō
poterat de eo sibigratulari Neronis Pater, qui sibi de filio
nato gratulatib⁹: Nihil ex se & Agripina nisi detestabile

B

nasci

nasci potuisse respondit. Tām difficile sc. erat à malo pa-
tre bonum nasci filium. Quod si jam à natalibus fortuna-
tum eruere licet augurium, optima omnino augurari
licebit huic Nostro. Habuit is Patrem sibi cognominem
HENRICUM Juris Doctorem Nobilissimum & Consul-
tissimum, Practicum Ducatu Brunsvicensi celeberrimi-
num, Syndicum Helmstadiensem, Consiliarium Lunæ-
burgensem postea amplissimum: Matrem autem fœ-
minam omnium virtutum titulis decoram, splendidis-
simāq; oriundā familiā **CATHARINAM REICHIAM**.
Avus Paternus fuit integerimæ famæ & honestissimæ
vitæ Vir **HENRICUS RAHNE** Civis Neobranden-
burgensis. Avia ornatissima fœmina **Nicel Baden**.
Avus maternus, Nobilissimus & Consultissimus Vir
BARTHOLDUS RECHIUS, qui postquā primum Lip-
siæ Professorem summā cum laude egerat, Italiam,
profectus, ex Academiâ Bononiensi summos Do-
ctoris titulos reportavit. Reducem Illustrissimus
Princeps Lunæburgensis **HENRICUS Junior**, Consilia-
rium sibi adesse voluit, bis legati munus ad Poloniæ re-
gem injunxit, & tandem Decanus S. Blasii in Ducatu
Brunsvicensi factus est. Avia materna variis virtutum
dotibus conspicua fuit fœmina **CATHARINA Röni-**
sen. Quid non poterat nasci ex tam fœcundo bonarum
mentium semine? Qui non ex illis sideribus radiis accu-
ratis certe inde de ingenio & fatis Nostri judicare
quis potuit, quam ex siderum stationibus Babylonius,

ex ar-

ex avium volatu augur, è victimis Etruscus Aruspex,
è terripavio pullarius. Sed quemadmodum à solo so-
lis ortu diem totum commendare haud licet; sed potius
ab occasu: itaq; prolixiores quidem hoc in capite non
erimus, & incipiat cum vitâ ejus progredi nostra oratio,
& videbimus etiam tûm tempestates aliquando & nu-
bes hunc solem obsedisse. Vix biennium tenerrimæ
ætatis perfecerat, cum charissimo Parente orbatus ma-
ternæ relinquebatur curæ & industriæ, tanto magis
tûm commiseratione dignus, quanto orbitatem minus
sentiebat. Ergo peractâ apud matrem infantâ, cum
fratre Seniore CONRADO, nunc beato, ad materteræ
maritum, Virum Consultissimum & Amplissimum DN.
M A T T H Æ U M G E R D E S I U M Juris Doctorem &
Syndicum Wismariensem allegatus, Scholæ ejus
loci tûm celeberrimæ cōmissus est, ut sub manuductio-
ne præceptorum, & inspectione Viri illius, ceu cuiusdâ
parentis, solida illa jaceret linguarum, & artium funda-
menta. Egregium profecto maternæ pietatis consi-
lium, seu laudabili aliorum instinctu suscepit, seu
ipsâ sagacitate ejus conceptū. Prævidebat prudētissima
fœmina, quanti intersit, quo quis præceptore & magi-
stro à primo annorum utatur exordio. Ut enim viti
pedamentis quibusdam opus est, ne jaceat; ita pueritiae
salubribus præceptis, ne cadat. Videbat suis forte au-
spiciis domi non adeò feliciterrem geri potuisse, nisi ac-
cederet quædam quasi Parentis autoritas. Non po-

test dici, Auditores, quantum hâc quidem in parte
peccetur vulgo, & quam datâ operâ etiam in retam,
maximi momenti peccare ament plurimi. Traditur
sæpe gênerosus animus plagoso Orbilio, aut tene-
brioni alicui, qui cum ipse nescit, quæ alios docere de-
beat, & ignorantiam suo quasi jure profitetur, quam
plurimi nunc exercent tam strenue, putida quædam
& hiulca præcepta, quæ aliud quomodo cunq; velemē-
dicata vel corrasa sunt, pædagogico quodâ fastu oggan-
nit, & vel centû ferulis & baculis miseræ intrudit memo-
riæ, quæ tantis oppressa inceptiis vel retunditur ipsa, vel
deinde habet, quod majori operâ dediscat. Tanto itaq;
conatu sæpe tantas nugas agimus, tam prolixâ scientiâ
id præstamus, ut nihil sciamus, intelligendo, ut
nihil intelligamus, & cum J. Cæsare ære alieno op-
presso trecentis talentis opus habemus, ut nihil ha-
beamus. Quod Philosophi veteres de Dæmonœ
quodam custode, seu Genio cuiq; proprio tradi-
dere, id profecto de Magistro bono dicas quam opti-
mè, qui quasi genius quidam est, qui rudes informat,
imprudentes consilio juvat, labentes erigit, errantes in-
viam reducit, evagantes freno retrahit, & ruentem
ad vetita impetum continet. Noster vero quemadmo-
dum bonos nactus est Studiorum moderatores, & ut
nanciseretur, provida mater sumptus largiter sug-
gessit; ita avidè illa hausit, ut jam tum non obscuris
probarit argumentis, quanta illi indoles, quam præcla-
ris fatis

ris fatis reservaretur, neq; inter hæc abonæ mentis regiâ aberrasse unquam visus est. De illo præceptores jactare poterant, quod Isocrates de Theopompo, quod ille unus freno op⁹ habuerit, cæteri calcaribus. Quemadmodum verò plantas nonnullas in alienum transferri solum expedit; ita & noster post confirmatum satis primis studiorum rudimentis animum¹, inter Monasterii Illefeldiensis, quod literarum & artium tum incrementis commendabatur quam maximè, alumnos nomen suum professus est. Sed altera tum proximo anno acedebat calamitas, quando optima mater, unicum illud, quod post Parentis excessum supererat solarium, fatis concessit, atq; tutelæ Clarissimorum virorum D.N.D.
VALENTINI MOLLERI Decani & **D. CONRADI COLERI**, tunc temporis Canonici in Capitulo S. Blasii & postea inferioris Saxoniæ Cancellarii reliquit. Cum ergo jam sub his Magistris Noster non adeò primitus cognoscere, quam singula reminisci videretur, inter pulveres & umbras triviales considere illum debere non putabant, qui illi præerant, sed ut jam ad majorem Academiæ lucem adspiraret, autores erant, ad quam adspirare quodam jure optimo poterat, & adspiravit anno ætatis decimo & nono, nō ut lusciosa aliquanoctua quæ illustres libertatis Academicæ radios nō tolerat, sed Lynceo quodā vis⁹ acumine summo illi scientiarū soli se probavit & genuinum exhibuit. Eo quidem facto plane se alienum à nunc vulgò receptis moribüs præstítit. Evo-

lant hodie in Academias juvenes fastu turgidi, literis ru-
des, Græcâ quidē literaturâ, quā supervacuâ illi putant,
vix acne vix quidem instructi, in Latinâ verò, si delira-
mentis quibusdam & quisquiliis intermortuæ istius &
opicæ antiquitatis, vocabulis scilicet à matre Evâtri usq;
repetitis elumbē quendā atq; exsuccū sermonem com-
pingere norunt, jam illi supra omnes sapiunt. Disci-
plinas uno forte in cōpendiolo omnes nō adeo discunt,
sed vorant. Hunc illi Oceanum tam facile emetiuntur,
quemadmodum Hercules illum in poculo. Quod si jam
ergo cognitum habet, quot circulis volvatur cœlum,,
quot stationibus Sphæra cœlestis se offerat, quot sint
elementa, quot corpus naturale constet principiis, bo-
num factum Quirites! jam hic raso vertice & sumpto
pileo liber exeat, jam ille se sapientiæ non servum, sed Do-
minus quendam & Magistrum dicat. Alios, quib,
vana & profana animum occupavit perswasio , cum
Gnathone Comico exclamare audias. Dii boni! homo
homini quid præstat, stulto intelligens! Hic cum pugno
Dialectices se percutere & palmâ Rhetorices se invicem
depalmare norunt, id est: cum oris dicacitate quâdam,
& argutandi volubilitate in fortuitam aliquam sapiendi
excreverunt audaciam, tunc illos tantos in simpulo flu-
ctus movere videoas , quales nec Nereus reum pater in
toto Oceano. Hic jam ab illis tot vanissimarum quæ-
stionum apparatus, velut in pergulâ quâdam prostitui
videbis, quæ post tot altercationes nunquam theses
erunt

erunt, sed quæstiones. Sic credit labor actus in orbem,
& citius in Cretæ labyrintho exitum, in Gordii plaustro
lorisq; caput, in Cymmeriis tenebris lucem, in Scyllæ
& Charybdis æstu tranquillitatem invenires, quam hic
veritatem. Alius vero jam vel operam dabit, ut, quod
non nisi solis Philosophis ille concessum putat, cum ratione
insaniat: nam vel album atrum esse, vel solem
hunc omnis lucis promicondum in mero meridie non
lucere Syllogistico quodam concludendi fato con-
tendet. De illis dici illud Menedemi dictum potest: Qui
Athenas navigarent primò sapientes esse, tum Phi-
losophos, tum Rhetores, deniq; rudes & idiotas. Taceo
jam de illis, quos vel Dea Murcia, vel abacus lusorius, vel
capona, vel λιθοὶ μεταμόρφωσι in garrientiū, ac Milesias Pu-
nicas enarrantium circulis potius retinent, quā ut unam
alteramve horulam docenti magistro impendant, qui-
bus vel gratias etiam agas, si te audiant. Longè absuit
ab hoc tam vesano more noster. Primū in Ienensi
Academiâ per quadrienniū, deinde in Julea per bienniū
continuum studiis operâ dedit: Cum vero & Martis &
Mortis exercitus locū illum tunc temporis infestabant
quā maximè, Rostochium nostram se conferre vis
major illum adigebat. Talem se illo tempore gesse,
qualiter vel optimi quiq; in votis habent. Non vidisses
in illo indeolem, quam in Juvene suo describit Venu-
sin⁹ vates. Omnia hic conversa, adeò ut virtutis eminen-
tia omne ætatis auferret vitium. Atq; hīc mihi ingen-
tis animi

ti animi characterem vide, qui arbitro suo & duce de-
stitutus ultrò ea, quæ virtutis munia sunt, exequitur, nec
tam aliis paret, quam sibi ipsi. Non ille ad studia inania
frivolaq; abripi sepassus est, nusquam inter homines
perdendo cibo natos, poculum remiges, & qui-
bus plus palatum, quam cor sapit, ut ajebat Cato, dies vel
noctes consumere visus est, non inter Omphalas sedet
Hercules, aut in Gynæco Achilles. Nec inter illos erat,
qui turpissimâ quâdam vitæ securitate & foedæ im-
mersæ pigritiæ omnia præterita, instantia, futura pari
oblivione dimittunt, quod in Vitellio notat Tacitus. Ille
sibi similis semper, à se i. e. à bonâ mente nunquam
ab ludens, eò curas suas, eò sedulitatē suam omnem im-
pendit, ut sapientior non solum fieret, sed & melior.
Noverat duobus illis sensibus, oculorum nimirum atq;
aurium subintrare, quod animos hominum rerū potissi-
mum cognitione instruit, diversis tamen rationib;. Ocu-
los quidem subtilissimum & longissimè divagantem &c
penetrantem sensum, ita quidem circumferri per hoc
universum, ut si per observata varia vitæ & prudentiæ
civilis exempla experientiæ cujusdam perfectionem as-
sequi velit, corpus loco movere, atq; varias regiones lu-
strare necesse habeat: Aures vero, quæ hoc supra visum
habent, probum quendā atq; doctuū na<ta magistrum
paucarum horarum compendio ingentem bonarum
præceptionū cumulum, & multorum seculorum exem-
pla accipiant, atq; menti condenda cōmittant. Postquā
itaq;

itaq; solidæ illius, nec ad pompam factæ Philosophiæ monitis jam satis instructum habebat animum, illā quoq; partem, quæ mentem in contemplatione rerum supra se reflectit, quantum satis erat, perlustrasset, ad latissimum Jurisprudentiæ Romanæ latifundium se totum contulit, & juratum se Astrææ civem dixit. Longè enim aliter, & rectius quidem statuebat, quam vulgo tenebrisca Rabularum quorundam ingenia, qui Philosophiam à Jurisprudentiâ infelici se jungunt divertio, qui cum ipsi magnificentiam ejus non satis capiant, nec à quâ matre augustissima filia procedat, angustis illam litigantium subselliis circumscribunt, & inter reciprocos altercantum latratus determinant. Ingressus itaq; est hunc Oceanum sub Palinuris prudentissimis, quos partim Jenensis, partim Julea, partim etiam nostra præfecerat Academia, in quibus nunquam defuere viri omni æternitatis memoriâ digaissimi, & maxima Celeberrimorum Jurisconsultorum nomina. Versabatur autem circa jura tam immensa libero planè & erecto animo, & non tam ex interpretum fastidiosis commentariis, quam ex simplici illo legum sensu proficiebat. Est hæc profecto nostra calamitas, nam fateri quis non velit? quod scripturientium multitudo, ingeniorum disparitas, quæ sita sententiarum novitas, illa limitandi & excipiendi nimia subtilitas, supervacuarū quæstionum vanitas, quibus non tam explicandis, quam enumerandis integrum consumeret seculum, & in qui-

C

bus

bus Hercules ipse labore inveniret decimum tertium,
laboribus novis discentes onerent, & Rabulas novis
fraudibus instruant. Quemadmodum Tarpeja scuris
quondam oppressa; ita nunc Astraea tot voluminum,
mole succumbit. Expugnanda horribilia illa Glosato-
rum agmina, è quorum stercore aurum, quod in Ennio
fecit Virgilius, exsculpendum est. Amelii vetus que-
rela fuit: *Juris prudentiam multorum camelorum onus esse*,
adde nunc omnes ex Indiâ elephantes, & omnes ex Ar-
cadiâ asinos, & vix ferent. Tot deniq; contrarie leges
conciliandæ, quas vel otiosa & iners quorundam
excogitavit subtilitas, vel falsa quorundam invexit opini-
o. Ille vero ita inter has spinas processit, ut rosam
latentem auferret, & ita feliciter quidem omnia hausit,
ut vel jam docere alios potuerit. Has inter severiores
Musas humanioribus aliquando relaxabat studiis ani-
mum, & vel literaturâ illâ gratori se exercebat, vel con-
cinnum aliquod & rotundâ quâdam facilitate commen-
dabile carmen meditabatur, quo ille genere scribendi
adeo capiebatur, ut inter multijuga illa & continua ne-
gotia nemo promptior ad scribendum existeret, &
nemo adeo interpellaretur, quam si ipse, ut & illo ipso fa-
tali suo die & uxorem ducenti gratularetur, & funeri
parentaret. Non certè exiguum nobilissimo studio
tempus impendisse multis constat argumentis. Puer
enim fermè integra carmina, Elegias, Eclogas, tā Græcā
quam Latinâ lingvâ scripsit felicissime, quæ omnia in ad-
versariis

versariis ejus videre licet. Illud vero in primis memoria dignum est, quod observatum & ab aliis, & a me ipso memini, in tam copiosa scriptione tot carminum, nullius unquam vocalis elisionem ab illo admissam fuisse. Adeo sibi illud, quod omni modo licitum erat, liceret non voluit, ne quid insvave scriberet, longè aliter, quam nunc nasutuli quidam, qui cum elumbes quos dā versiculos & vix ossibus suis harentes, ut Ægonis Virgiliani oves pinguisimis artis Poëticæ solœcismis exornarunt, inauditâ & intolerabili, an dicam impudentiâ, an stultiâ defendere tam crassos & Orbilii ferulâ dignos errores audent, & novas nobis conclusiones Grammaticas, credo per Syllogismos in Barbara vel ipsâ potius barbarie natas præscribunt. Non possum. A. O. vos hîc celare lepidum aliquod eâ de re Rahnâ Nostri Epigramma, quod, dum forte Bibliothecam ejus instructissimam perlustro, Pindaro præscriptum inveni, quod uti me acumine illo non insvavi admodum affecit, ita nec yobis ingratum fore confido. Erat autem illud:

Pindarus in Pindi permanſit culmine. Multi
Transcendunt Pindum, Barbariamq; petunt.
Plurima, quæ Pindum portendunt carmina, Pinum
Vix redolent: Lyricus non modò quisq; sapit
Delirat potius: lyricos quia scribere versus
Nititur, & nescit tangere ritè lyram.

Sapè coturnicos sapient, tractare cothurnos
Quis atagunt, & qui garrula plectra movent.
Absq; modo cantare modos, gracilis Minerva
Fingere nunc elegos, laus cluet atq; decus.
Incultos hodie numeros inculta Poësis
Laudat, & est doct& gratia parvalyrae.
Vana Poëtastris gignunt hæc tempora vanos,
Et fatuos Vates secula nostra creant.
Non mirum: Phœbi socium se jactat ephesus
Quilibet, & Clario clarior esse capit.
Sunt Musæ mulæ, sunt criminia carmina. Mundo
Jam nova, non veterum scripta polita placent.
Causa subest, paucis dicam: Mars supprimit Artes.
Nec bene concordat Martis & Artis opus.

Videte quam pulchro colore Poëtastris nostros delinéarit, qui tamen & magnos se Heroas sæpe somniant. Quis non indignetur sæpe, cum videt miseros illos pedum ferruminatores divinissimam illam involare Poëseos artem, & augusto hoc nomine superbire vix Apollinares lixas, qui cum miseras voces ad metra sua obtorto rapere collo, & tanquam ad triremes damnare norunt, illico ad famelicum quendam, an Lauri, an fumi venditorem eunt, qui admirandâ quâdam arte & μυαρόστι Nasoni incognita dictum factum asinos mutat in Pegasos. Et sunt quidem tales ex honestissimo illo Poëtarum cœtu, non quemadmodum Homerus è Rep.

Rep. Platonicā cum coronā & oleo, sed fustibus &
virgis ejiciendi. Sed redeo ad Nostrum, qui tum hīc
in Nostrā Academiā strenuē remagebat, nec quicquam
in se passus est desiderari eorum, quæ illi majus indies
decus poterant addere, ut in omnium oculis ac luce
versari videretur. Permoveit ejus fama Nobilissimum
& Strenuum virum GEBHARDUM ab ALVERSLE-
BEN, ut illum abhinc Erzlebiam evocaret, quō sibi
suisq; rebus consilio præcesset. Cui Spartæ cum per
annum fideliter præfuissest, excidio Magdeburgensi
omnia illa acta deperdita sunt, & Noster ad priores
Musas rediit, & tum etiam Gryphiswaldensem Acad-
emiam vidit. Intercessit tandem studiis ejus Fortuna,
hujus nostræ Academiæ, quæ cupidè illum in amplexus
recepit, & Juris Professorem nominavit, cum, præter-
quam, quod sui ipsius commendator maximus erat, in-
super quoq; commendabatur, Serenissimi Principis,
DN. ADOLPHI FRIDERICI gloriose memorie,
literis. Cogitare itaq; jam de alterâ vitæ felicitate in-
cepit & de vitæ sociâ eligendâ sibi prospexit, quam pro
voto invenit Nobilissimam & Lectissimam Virginem,
ELISABETAM von der Lippen Magnifici & Nobili-
mi Viri, DN. CHRISTOPHORI von der Lippen II. J. D.
& primū Consiliarii Mecklenburgici, postea Serenissi-
mi & Potentissimi Daniæ ac Norvegiaæ Regis CHRI-
STIANI IV. Cancellarii, filiam dilectissimam, quâ
cum ipso Spiritus Sancti, summi amoris honesti præsi-

dis festo Sponsalia Swerini celebravit. Tam præclare
jactis fortunæ suæ fundamentis addi quidem nihil posse
videbatur, quam quod ipse desiderabat. Et illud addi
perfectioni suæ debere existimabat, ut per mores ho-
minum varios cognoscendos, quicquid libri illum ha-
ctenus docuerant, confirmaret. Ivit itaq; magnus ille
animus, qui quia cœlum suum imitatur, quod motu
gaudet, domi atq; terræ suæ affixus residere non potuit,
nec instar testudinis tardigradæ & domi portæ inge-
minavit illud: Domus amica, domus optima; & quamvis
omnia hæc, tranquillus & quietus coram videat, omnia
coram lustret, omnia velocius, quam solipse, obeat, ivit
tamen in hunc orbem, vidit illum & pervidit, non tam
quâ parte luteus, quâ lapideus, quâ parte etiā aureus est
& gemmeus, sed quâ humanus. Speculatorem scilicet
se missum esse censebat cum Diogene aliquo ad res hu-
manas explorandas, ad discendum, ad doctos noscen-
dos & pernoscendos. Sed quoties & cum Ulysse specus
introivit, & feliciter egressus est! quoties Sirenes audi-
vit, sed aures obturavit! quoties Circe poculū propinavit,
sed non paruit! quoties Lotophagos accessit, nec
remansit! Adiit ergo primū per Ducatum Bremen-
sem & per Frisios ipsum Belgij, & illam non tam par-
tem orbis, quam imaginem & compendium quoddam
miratus est. Vedit jam amplissimam urbem Amsteroda-
mum, in qua totius mundi opes quasi maritimo quo-
quodam recipiuntur hospitio, florentissimum illud Eu-
ropæ

ropæ emporium, quod suffulciunt putrescentes pini.
Hic notat tot afflictæ paupertatis augusta & regia rece-
ptacula integras navium sylvas & circumfusas urbi claf-
sium stationes, stupendam opum vim, omniaq; singu-
lari quodam an cœli an populi genio ad amissim facta.
Jam adit Leidam omnis præclaræ literaturæ metropo-
lin, jam crebris statisq; excursionibus universam Hol-
landiam, Geldriam, Transiluaniam, aliasq; regiones
adsitas, Academias item Gröningensem & Franekeran-
nam non oblivious spectator lustrat, inq; universis &
singulis & Rectorum prudentiam, & legum reverenti-
am, & civium modestiam suspicit. Hic in summorum
virorum: Salmasii, Vossii, Golii, Cunæi, Barlæi, Fop-
pii ab Aissema, Scriverii, Heinsii notitiam admissus
est, qui postremus illum cum titulo *Viri Egregii ipse*
egregius vir & nemini comparandus dimiserat. Hos
partim audiebat docentes, partim colloquiis illorum
utebatur, partim varia amicitiae argumenta experieba-
tur. Post Belgium, alterum illum, quem in Oceano
orbem fecit natura, Britanniæ regnum adiit, non inho-
spitalem illam & crudelem, uti ab antiquis habebatur,
sed humanissimam, & ad excipiendos peregrinos spon-
te factam, ut famam illius comitatis cum honesto am-
bitu querat. Londini substitit per aliquod tempus,
cujus vastissimam magnitudinem, & quicquid ibi pul-
chrum & præclarum est curioso notavit oculo. Offen-
dit inter alios & compellavit ibi Robertum Fluddium,
Medicum

Medicum & Armigerum Regium, qui tum sagacissimis
tam Mathematicæ artis, quam rerum naturalium inti-
morum inventis maximum sibi nomen acquisiverat,
apud quem multa se observasse Naturæ miracula non
seme ex eo audivi. Et habet ea gens præ reliquis hoc
proprium ac insitum, ut nescio quâ occultâ mentis po-
tentia per omnia abstrusa & recondita indefessos agat
spiritus, tantâq; cum intentione illa subigat, donec vel
incomparabile aliquid excogitet, cuius tam felicia saepe
orbi exhibuit specimina, vel in prodigiosa etiam & su-
perstitiosa asserta erumpat, semper aliquid altius su-
prâq; vulgi ingenium spiratura. Neq; neglexit splen-
didissimas illas & toto orbe celeberrimas Academias
Cambrigensem & Oxoniensem. Nam quid in Te po-
tissimum laudem ô Academiarum Regina Oxonium,?
quippe quæ totâ illâ urbe nihil fere aliud es, quam Aca-
demia, an amoenissimum illum loci genium & suâ pul-
chritudine Musis hospitalem? an magnifica illa & regia
studiis dicata palatia? an Te, ô sapientiæ ærarium, &
ipsius æternitatis Capitolium, Bibliotheca Bodlejana?
quæ quasi orbis quidam suis regionibus distinctus tot il-
lustrium ingeniorum, pulcherrimo illo tuo campo, suo
ordine dispositos, & contra ignorantiani militantes
exercitus tenes, qui tot mortuos & mutos magistros
non nisi silentio consulendos foves, tot manuscriptos
codices, tot antiquorum nummorum monumenta re-
condis. Sed ne & cum ipso peregrinante Nostro ulterius
quam.

quam par est, mea videatur peregrinari oratio, in Galiam cum illo eo, pulcherriam illam morum formam actem. Confecit aliquod tempus Lutetiae, & splendor ejus Aulæ & Urbis perspexit, Academiam invisit, Professores docentes audivit, summorum virorum amicitias sibi comparavit, de incolarum autem moribus & animis tantum admisit, quantum Germanam laudem non infringeret, aut genuinam virtutis indole levitatis contagio non fascinaret. Ivisset jam porro ad alia loca Noster, nisi literæ illum revocassent. Regressus itaq; est per Brabantiam, sed non adeo feliciter: Circa enim intempesta noctis, inter Rhormundam & Venlōre oppida à Latronibus spoliatus non exiguum vitæ discri- men incidit, tum & tempestatibus gravissimis jactatus demum Rostochium rediit. Et rediit quidem, non ut Ulysses, qui post tot itinerum ambages, nil nisi dolos & astus reportavit, non ut Erro aliquis, qui cum externos quosdam gestus, vestitus, & hibella quædam verba, boni moris vero aut virtutis ne micam quidam affert; sed ut Plato quidam, qui postquam Asiam & Italiam perag- verat, à Judæis mundi originem, à Sacerdotibus Ægyptiorum siderū scientiam, ab Archytâ Tarentino artium mechanicarum, à Timæo Pythagoræorum præcepta secum tulit; sed ut Scytharum Rex Anacharsis e Græciâ, & à doctissimis cum Solone & Hannone colloquiis, ut Octavius Augustus à celeberrimis Epiri Philosophis. Ita plurimarum rerum usu ac scientiâ instructus noster

D

rediit,

rediit, & hoc ad Professionis suæ existimationem adjectum, ut jam cum illâ publicam Orbis disciplinam profiteri potuerit. Nam quemadmodum solo cedit, quod in alieno seritur; ita quicquid peregrinarum virtutum in illo hæserat, huic nostræ Rostochio, quasi Patriæ adoptivæ succrevit. Et restabat jam nihil aliud, quam desiderium & exspectatio publica non tam implenda, quam superanda. Postquam itaq; sub auspiciis Excellentissimi & Consultissimi Viri, DN. ALBERTI HEINRIKI summos in utroq; jure honores, Doctorisq; titulum, tanquam quandam Virtutis & Eruditionis suæ appendicem assumpserat (solent enim nunc non raro tituli non esse appendices Doctorum, sed Doctores appendices titulorum) ipsi demum Professoriæ Spartæ iniciatus est Anni 1633 Octobris die 30. & in Facultatem simul & Consistorialium numerum receptus est. Ex eo usq; tempore per integros 28. annos cathedrae Juridicæ ingenti cum laude præfuit, ut ob continuatum per tam prolixum tempus munus merito Imperatoriis legibus concessum VIRI ILLUSTRIS titulum sibi vendicare potuerit, nisi ille nihil magis sprevisset, quam titulos. Docuit, interpretatus est iura, non viâ illâ confragosâ & asperâ, quâ ingredi malunt nunc tam plurimi, sed planâ & simplici. Neq; enim febriculosas ostentationes, sed sensus amabat gravitatem, rerum copiam, verborum, vero frugalitatem. Non ille frigidis quibusdam nugis chartas onerabat, quod nunc sæpe fit, incomparabili & juven-

& juventutis & temporis dispendio, aut paginas prolixis quibusdam testimoniorum numeris turgidas auditoribus objiciebat, velut ossam in os, quod circumforanei quidam clamatores solent; sed animo prompto, ingenii acumine miro legum tricas firmissimosq; nodos singulari dexteritate solvit, in scirpo vero illis non quæsivit. Nec sectabatur pravum quorundam in interpretatione juris morem, qui ad nugas quasdam dilabuntur, & interpunctionibus, commatibus, variis lectionibus, aut vetustis quibusdam ritibus, quos per Juri-sprudentiaæ nostræ libros, maximo ejus detrimento dispersos habemus, omne tempus terunt, ut antiquarii videantur, qui sub ipsâ antiquitatis specie nîl nisi novitates querunt. Invenias sæpe, qui inter servorum jura ipsi servum pecus repant, & hæc tam fastidiosis sæpe commentariis inculcent, quasi vero in tam amplissimo campo rerum illustrissimarum seges desit, ut pro illis potius lolium & steriles sectemur avenas. Atq; hinc profecto factum est, ut doctiores nunc habeamus Juris Historicos, quam Juris Consultos. Mihi verò videtur in hos optimè dici posse, quod illustris Verulamius in nostri seculi Philosophos: *Quemadmodum* inquit ille in augusto de Augmentis scientiarum opere, *complura corpora naturalia, dum valent integra, corrum-puntur sæpius & abeunt in vermes; eodem modo sana & solidarerum cognitio sæpenumero patre/cit, & solvitur in subtile, vanas, inutiles, & sita loqui liceat, vermiculatas*

D 2

questio-

questiones, qua motu quodam & vivacitate prædicta videntur, sed putrida sunt & nullius usus. Sed de dexteritate Nostris in docendo quos non possum testes producere? Testari possunt de eo, vel qui jam Principum aulas consiliis suis moderantur, vel judicis præsunt, plurimi etiam vestrum, qui in hac Academiam jura docetis & didicis, tum & vos, qui curiarum Advocati & causarum patroni in foro vivitis, Testabuntur ipsa haec subsellia, quæ toties gravissimis illis personuere vocibus. Possum, si et hoc aliquod addere potest ponderis, & me nominare testem non fucatum, qui cum primum huic committerer Academiam, ejus potissimum auspiciis eos in juris studio progressus fecerim, exiguos quidem, sed quorum me profecto non pœnitet. A scriptione vero prudentissimus Vir consulto abstinuit: detestabatur enim illam scribendi pruriginem, quæ nunc adeò multos invalit. Incidimus nunc in seculum, quod tam ferrax est, ut & Eu auchi gignant, & mulæ pariant. Ego vero in omni illâ tot voluminum mole nihil aliud desidero, quam unicum ex tribus illis Chymicorum principiis. Sulphuris illis multum inest, nam flamas facile concipiunt, & ut concipient digna sunt: Mercurii immane quantum, cum volatilis cerebri somnia & ventos sint commenta: Salis autem nihil, nisi quantum accedit à liberalitate falsamentarii. Vidimus jam Nostrum jura & leges probè dictum & egregie alios docentem: Sed quia scire, quid sit esse iustum, levius aliquid est,

est, quam esse, nec in cathedris philosopho illo & magnifico ore disertum esse adeò laudabile est, quam virtutem illam, quam profitemur, in vita exercere, alios quidem docuit juris scientiam, sed quam docere non nisi suo exemplo poterat, sibi servavit jurisprudentiam. Et in eo bis felix exstitit, & vel ipsius invidiæ suffragio incomparabilis, nec enim statuæ Mercurialis in morem viam ostendit tantum, sed & ipse ivit, atq; sic ad summum Viri undiquaq; boni fastigium evenit. In iure dicendo quæ ejus integritas? non enim lenones illos judices sequebatur, qui Astræani quasi meretriculam aliquam non in tribunal, sed in lupanar inferant, & prounummis litigantium venalem habent. Multò speciosior auro est æquitas, nam & nitidius fulget, & illam populo cum dederitis, semper vestra est ô Judices. Nulos magis odio prosequebatur, quam Rabulas & Harpyjas illas forenses, Cadmæos illos fratres, qui litem ex lite serunt, rixam et rixâ fœcundo semine gignunt. Quod genus hominum in ipso Orci gymnasio ad hanc nequitiam eductum & eductum, cum nihil aliud profiteatur, quam quæstuosissimam de litibus protrahendis artem, quomodo causæ ipso celo cum sudum est sereniores prætensâ legum nebulâ obscurandæ, procrastinandæ, variis illudendæ exceptionibus, jam decisæ ad iteratam revisionem reducendæ, adeò illi turpes sunt, ut inter bonos tolerari non debeant, & Plutonis potius mancipia, proborum carcinomata, seculi opprobria publi-

caq; orbis propudia nominandi sint, quam Juris con-
sulti. Fuitquondam inter Byzantinos Oratores, qui
interrogatus: Qualis Byzantis lex esset? Qualem ego
volo, respondit: Turpissima verò vox, & non nisi impu-
rissimo homine digna, nec abeunt ab illâ sententiâ Ra-
bulæ nostri. Quotiescunq; vero Noster Magnifici Re-
ctoris munus sustinuit (sustinuit autem septies) ita rem
suam egit, tantâ fidelitate administrationi præfuit, &
in Academiæ emolumentum vigilavit, ut profecto
multum illi salus nostra publica debeat. Sed loquun-
tur hæc monumenta nostra, & legere etiam hæc pote-
rit prolixa posterorum series. Quanto & consilio &
studio Collegis suis, in maximis negotiis decidendis ad-
fuerit, quam se promptum dubiis fori sacri contenti-
onibus præbuerit, testantur affatim illi, quos clades illa,
afficit, & qui illum suo & reipublicæ bono ereptum
sentiunt. Omnibus illis muniis ita ille se dignum dedit,
ut in aliis flagrantissimum illum justi & æquardorem,
in aliis publicarum ac sacrarum necessitatum
curam, in omnibus solertiam nemo deprædicare satis
potuerit. Præter ordinarias operas plures ipsi industria
ac spectata omnes juvandi proclivitas imposuit. Solet
enim ita vulgofieri, ut quos promptiores ad mun' aliquod
subeundum deprehendimus, novis usq; ingestis fati-
gemus officiis. Quot non' gravissimæ lites illius auspi-
ciis compositæ? Quam innumera illi commissa nego-
tia, ad quæ bene perficienda, præterquam quod res
illa,

illa feliciter illi cederet, perspicacia ejus, candor, & in
apricū exposita fides eū commendabat, ut ab omnibus
amatus, nunc ab omnibus desideretur. In tanto illo
honorum & florentissimæ fortunæ cumulo æquale
semper & erectum tuebatur ingenium, & in præclaro
ejus incremento animus & mores eandem professi
sunt constantiam. Reperias plerumq; homines non
multum statuis illis diligentes, quæ ita factæ sunt, ut, si in
sublimi ponas, totum artificium pereat, aut omnino o-
culos effugiat; si adjustam altitudinem locentur, ostend-
ent se decentius: ita quosdam videoas honoribus suis
nimium elatos aut planè non, aut turpiter ex eo loco
ob superbiam videri, qui si se aliquantum submiserint,
honestiores videri poterant. Noster mediâ procedens
viâ, neminem vel fastu suo læsit, vel humilitate nimia
in sui contemptum provocavit, quâ tamen peccare, si
peccare hoc est, maluit, quam ultra eam excedere.
Publicam scilicet ille frontem habebat, cum versabatur
in publico, privatam autem singulis exhibebat, ut o-
mnibus æqualis, nemine superior esse voluerit, qui in
eo, quod omnib⁹ æqualis esse voluit, nemini est compa-
randus, & quod nemine superior esse voluit, omnes il-
lo sunt inferiores. Adeò nulla in illo Viro & ne minima
quidem superbiaz nota fuit. In mente illi candor, in
verbis modestia, in vitâ integritas, in promissis fides,
nisi planè abludentem à maligni seculi nostri ingerio
nimū habuerit, & in nullo injurius exstiterit, nisi quod
à nobis

A nobis abierit. Vanam ille honorum sitim, quā tam
anxiè torquentur plurimi, effusissimè ridebat, vanos
illos, qui nunc adeò affectantur, titulos, tanquam ridi-
cula quædam morionum crepundia, nemini invidebat.

Malunt enim nunc omnes (liceat ita jocari) superla-
tivie esse, quam positivi, id est videri magis, quam esse,
qui nihil aliud sæpe quam superlativas illas Midæ ge-
stant auriculas. Sed quis tam validus est sal, qui defri-
cet hanc scabiem? Videas tumidos scientiarum folles,
qui se omnem sapientiæ intertraxisse putant animam,
nihil aliud spirare, quam intolerabiles fastus. Olim
cum titulorum minus erat, plus erat virtutis, ut vere illud
Bonifacii dictum hic quadret: Cum ligneis utere-
mūr calicibus, aureos sacerdotes habebamus; nunc aureos ha-
bemus calices, & ligneos sacerdotes. Præclarum est Sene-
cæ consilium: Magno, inquit, impendio temporum, magna
alienarum aurium molestia laudatio hæc constat: O homi-
nem literatum! Simus hoc titulo rustico contenti: O VI-
RUM BONUM! Nec aliam noster quæsivit glori-
am. Invidendus ille Viri boni titulus, quem profecto
informi hoc & malitioso seculo nemini tam facile tri-
buam, si ulli, huic proprius, atq; adeo innatus dicen-
dus est. Quæ porro ejus facilitas? quæ humanitas?
quanta in vibrandis jocis acumina? sed quæ suâ tem-
perie miscebat gravitas. Quos ille unquam datâ opera
offendit? nisi quos offendere jubebat publica officiâ ra-
tio: nam et irascinon solum possumus, sed & debemus,
si vir-

si virtus hoc postulat. Clementius & mitius nihil est
aëre, nam vel volantibus muscis cedit, & in omnes se-
formas traduci patitur; idem tamen & montes concu-
tit, & urbes subvertit, si irascitur. Affectuum imperio
nunquam se abripi passus est: animus enim illi semper
serenus & quietus, nec in illo cupiditates, licet suâpte
naturâ turbidæ ac perturbatæ, & quæ alias more Gi-
gantum ~~geoua xeray~~, rationis imperio adversæ unquam
fuere. Quemadmodum enim supra aëris pars æther
à turbis omnibus liber in nubes non cogitur, non in
tempestatem propellitur, non versatur in turbinem;
inferiora tantum tonant ac fulminant: ita & illi mens in
affectuum æstu semper fuit eadem, semper sua. Nec
Aristippi in eo vidisses ingenium.,

Omnis quem decuit status \mathfrak{E} color \mathfrak{E} res.

Longè illi erat & fucus omnis & fumus, nec animus pro
varietate rerum illi varius, sed secundum Pythagoræo-
rum præceptum qui Virum bonum \mathfrak{E} justum esse vel
fieri unum volunt, ad simplicem justitiæ amissim omnia
examinans omnibus se uniformem præstítit. Fuit hæc
Viri tam præclara Virtus, ut in Invidiam nullos, in ad-
mirationem rapere debuisset omnes. Non defuere
tamen cerritorum quorundam hominum calumniæ,
quas cum ipse Beatissimus Senex ridere tantum sole-
bat, nihil quoq; nos in illos acerbi dicimus, cum illos
sua satis puniat insania. Sed Nihil illos magis refutat,
quam Recti conscientia. Olim quidam Sophisticis ar-

E

gutatio-

gutationibus colligebat: Diogenes habere cornua; ille frontem contrectans respondit: Atq; ego non video, non sentio. Sic quid maledicta in nos poterunt, cum malefacta non sentiamus? Maxima hæc Rhanii nostri fuit felicitas, perfecta tamen non dicenda, si absuisset fortuna domestica: neq; enim publica illa sors jucunda esse satis potest, si domi sumus miseri; ille vero pro voto suo exoptatissima omnia habuit. Consummatum primum conjugium, cuius Sponsalia jam supra celebrata sunt Anno 1634.5 Februari die. Quam præclarum hoc, quam laxe, quam honestum cum adjuncta vitæ & curarum illâ sociâ consortium fuerit, dici vix potest. Vedit inde stirpes propagatas pulcherrimas, MARGARETAM, CATHARINAM, CHRISTOPHORUM, CONRADUM. E quibus MARGARETA & CHRISTOPHORUS acerbo eripi funere: superant (utinam diu superent!) exquisitissimarū virtutum fœmina CATHARINA, quondam Amplissimo DN. HIERONYMO KOCHIO U. J. D. nunc Consultissimo Viro DN. MARTINO COLLERO, itidem U. J. D. clarissimo, cuius præsentiam intempestivis nunc laudibus onerare nolo, nuptiū data, & alter CONRADUS, de quo omnia præclara speramus, & tanto Patre digna. Non diu ultra septennium durabat hæc felicitas, postremo enim puerperio extincta conjux tristissimo & fatali à Marito sejuncta fuit divortio. Ille vero ut domui suæ & rei familiari rectius consuleret post sesqui-

sesquianum ad secunda vota transiit, & connubio sibi
junxit Nobilissimam & invidendis animi dotibus ex cel-
lentissimam sc̄eminam **ELISABETAM**, Viri Magni-
fici, Nobilissimi & Excellentissimi, Dn. **LAURENTII**
STEPHANI, J. U. D. Consiliarii Meclenburgici, Judicij
Provincialis Vice pr̄esidis, Consistorii Ducalis Aesseſo-
ris, Universitatis Rostochiensis Antecessoris filiam, Am-
plissimi & Consultissimi Dn. **LAURENTII MAR-**
QUARDI J. U. D. & Archiepiscopi Bremensis atq; Ver-
densis olim Consiliarii relictam viduam. Amavit illam,
& sanctissimum cum illâ ad extreum usq; spiritum
coluit concordiam: hæc verò, quemadmodum ille se-
dulo mariti, ita Uxor's officium pr̄eclarè exhibuit.
Progerminabant & hinc elegantissimi illi flosculi, **LAU-**
RENTIUS, **CHRISTOPHORUS**, **ANNA**, **JOACHI-**
MUS, **BARBARA** & **ELISABETA**, è quibus BAR-
BARA, mutato mortalitatis ordine patrem antever-
tit, reliqui omnes vivi atq; sani Parentis sui fata lugent,
& quem superstitem non nisi in animis suis habent, ejus
vivam atq; pr̄eclaram pr̄estant imaginem. Ex crescant
illi, quod vovemus ex animo, Divinæ Gloriæ, Boni
publici incremento, nec illam, quæ illis à Parente
tradita est lampada & virtutum facem extingui pati-
antur.

Exhibuimus hactenus vobis A. O. Rahniū
nostrum, Virum, Civem, Patrem familias bonum: nihil
diximus, nisi & dicamus bonum fuisse Christianum. Sed
quod vel indicentibus nobis & sciunt omnes, qui illum .

E 2

norunt

normis, & facile credunt, qui illum ignorant, si quis
ignorare illum potest. Testabuntur Collegæ Theo-
logi, testantur omnes boni, quam piè vixerit, quam
ardenter illis, quæ ad æternam salutem conse-
quendam habemus subsidia, usus sit, ut vivum quod-
dam extiterit Pietatis exemplum, quæ una trophaeum
figit in cœlesti illo Capitolio. Oboriebatur illi jam vitæ
quædam satietas in mœsto hoc & cadavero mundi
spectaculo, & magnus ille animus anhelabat ad aliâ illâ
vitam, cui nati, cui facti sumus. Ingressus est hanc
mortalitatis semitâ tentabundus, & gradu suspenso qua-
si in cœnosâ viâ incessit, summisq; tantum pedibus pro-
cessit, ceu in loco Ædilem metuente. Quotiescunq; ve-
rò illi cum mundo conversandum, vanitatum illarum
nebulis animum non involvit, & veluti cymba per ma-
re agitatane sui quidem vestigium reliquit. Sæpe
cum pedem extra domum poneret (namq; intra illam
finelabe omnia) multa præter votum aut opinionem vel
videbat vel audiebat, omniaq; in pejus labi sine spe
restorationis animadvertebat. In memoriam sibi
revocabat, quod Epicteti inculcat sapientia: *Non sum
æternitas, sed homo, id est, particula universi, ut hora diei.
Venire igitur me oportet ut horam, & præterire ut horam.*
Extremam tandem felicitatem nactus est, felicissimum,
beatissimum & subitum ex hâc vitâ excessum, quam-
pari, quâ inceperat, quâ continuaverat, felicitate ab-
solvit. Nullus unquam morbus neq; senectutem, neq;
totam.

totam ejus vitam infestaverat, sed corpus & domici-
lium animo ejus contigit vegetum stabile & firmum, &
duravit illa ingenii alacritas, quam comitabantur Ve-
neres illæ & festivitates ad extreum ætatis usq; decur-
sum. In ipsis Paschatos feriis cordis quædam anxietas
mensæ assidentem & gratissimos illos jocos, ut solebat,
adspergentem occupare cœpit. Advocabatur Experi-
entissimus & Excellentissimus DN. Collega JOHAN-
NES BACMEISTERUS, qui medicamentum illi præ-
scripsit, nec adeò quicquam mali suspicatus est. Alte-
ro die propter receptum medicamentum decubuit, sed
de nullo dolore conquestus est, quia eo die & car-
men scripsit, & Orationi illi de Beatitudine civili, quam
ut Procancellarius instante illo Promotionis actu, habi-
turus erat, ultimam manum imposuit. Expetebat post
meridiem nostra colloquia, ne somnus forte superven-
iens medicamini impedimentoo esset. Aderat illi post
prandium per integrum biliorum Pl. Reverendus &
Clarissimus DN. CHRISTIANUS KORTHOLT,
SS. Theol. Doctorandus, quo cum de quâdam Soci-
anianorum controversiâ, quæ SS. Trinitatis mysterium
concernit, præclarè contulit, & cui, nescio quo fato,
vitæ suæ quædam pericula, ἀναφελαιώσει quâdam
enarravit. Adfuere præterea Nobilissimi & Consul-
tissimi D N. HERMANNUS LEMKIUS & JA-
COBUS SEBASTIANUS LAURENBERGIUS,
Collegæ, quibus & jocis quibusdā excusavit morbū. Sed

vah! quam subita rerum mutatio! Mihi tum quoq;
illum visitaturo renunciat famulus: jam è vivis excessisse
Rhanium. Quid mihi animi tum fuisse putatis A. O.
Obstupui & vox faucibus hæsit. Sed tamen & mihi
persvadere hoc primum non potui. Eo igitur, quin
ad volo ad ædes Rhanii. Sed heu mihi! jam audiebam
miserrima illa familiæ lamenta, & cursantes hinc inde
pueri fidem etiam nondum intranti fecere. At ego
ibi variam illam rerum nostrarum fortunam videbam,
videbam faciem pallidam, videbam & palpabam
beneficas illas, sed exangues manus, & exclamavi: O
fugacem mortalitatem! O tenue momentum inter
omnia & nihil! Somni inturbator accedebam, sed
ferreum illum soporem avertere non poteram. Præve-
nit illa calamitas nuncium, prævertit metum, occupa-
vit prudentiam, extinxit consilia, quibus casus isti evi-
tari consverâre, ut non exspectatum dolorem amentis-
simus æquârit stupor. Quem solatii & æquanimita-
tis portum sibi quis paret? quod profugium? cum tam
vasta tempestas tam repente exstitit, & una cum im-
petu suo & spem omnem evadendi abstulit & naufra-
gium præsentissimum intulit. Sed parcus illa inge-
minemus, & queri potius desinamus, quandoquidem
bene cum illo actum esse nescire non possumus: For-
tunæ enim minas evasit & lenocinantis mundi illece-
bras ac pestilens contagiu, ut si dolere & plangere per-
gamus, invidentibus propiores habeamur, quam faven-
tibus:

tibus, nec poterunt in tam frequenti rationem exa-
mine multum obloqui degeneres querimoniæ. Nam
quid in eo dolendum, quod tam subitâ morte obierit
quâ ego humanæ felicitatis summam esse dixerim, sine
ullo dolore & sensu ex hâc vitâ excedere, & quasi à Deo
evocari, qui omnia suo more agit, & in momento ope-
ratur. Sicut enim fulgur nubem siccum facile perrum-
pit, exhalatio vero humida cum spissâ & lentâ diu lu-
ctatur; ita divinus & integer animus è puro corpore ni-
hil cunctatus abit, vitiis vero contaminatus ægrè
ejicitur.

Atq; hunc vitæ finem habuit beatissimus
Senex, si tamen vitæ finis vocandus est, qui
æternam illam & nullo seculo desinentem
inchoat, & quem hîc dicemus finem, ubi
vitæ & mortis idem est principium? Vixit
ita, ut adhuc supersit in omnium nostrum
mentibus, ut nec obiisse videatur, qui in
tot animis corporibusq; suorum vivit. Et
vivit quidem nunc eâ potissimum parte,
quâ honeste vixit, quâ DEO, sibi & unicu-
iq; suum tribuit. Virtutis & vitæ illius cate-
na ada-

In adamantina est, quam Parcarum forfex
non incidet, & quicquid ei innexum fuit,
memoriæ durat consecratum æternæ. Man-
davimus terræ corpus ejus ferali involu-
tum linteo: sed Agnus illum nunc (uti
in Apocalypsi est) byssō investivit albo &
mundo. Nobis verò, quod illo careamus,
ingens lugendi materies relicta est. Plora-
te vos Liberi Patrem, Uxor Maritum, Ge-
ner Socerum, Affines Affinem, Amici Ami-
cum; Luctus noster publicus est, vester pri-
vatus; Vos singula deploratis, nos omnia;
nec testari illum luctum tam possumus sin-
guli, quam debemus universi. Queritur
Academia, luget civitas, quas probitate,
illâ & benignitate suâ, juvando, consulendo,
consolando suas ferè fecerat. Tu verò
sanctissime Senex, qui nihil amisisti, quia
nunc nihil potes amittere, liberrimarum
mentium additus consortio, omnia nostra
infra Te, aut despicias, aut possides, aut
contem-

contemnis, aut miseraris. Bene sit Tibi, qui
quantum homini in homines licet semper
fuisti bonus. Bene sit Tibi, qui ex hâc
mortalitatis sentinâ, ex hâc Cimmeriorum
regione in clarissimam ætheris lucem immi-
grasti, qui ex hâc perpetuâ mortis & mun-
di servitute cœlo tuo redonatus immor-
talitatem quasi postliminio recepisti. Pun-
ctum hoc est, in quo repimus, cui inhærem⁹,
&, si mathematicis credimus, intervallis nul-
lis distinctum: at Tu nunc per maximos &
vastissimos illos corporum cœlestium or-
bes circumduceris, per tam diffusa Æternæ
Mentis vestigia graderis indefessus specta-
tor. Ibi Tu nunc justitiæ ideam perfectissi-
mam colis, cuius nos vix prima capimus ru-
dimenta. Heic Tu præsens ingentes illos
Pandectas explicari vides, in quibus & Deū
& Naturam legis, & rubro illo Agni san-
guine scriptos vides omnes pios, & repro-
bos liturâ nigra tectos. Non hic duo-

decim sed duas Tabulas tam vasta justitiæ
præcepta continere vides. Non pulsabunt
hīc molesti clientes tua ostia, non hīc aut de
glande legendā, aut de stillicidiis responde-
bis; sed divino illo confessu, non nisi æterna
DEI consulta & cœlestium procerum re-
sponsa audies. At Tuō beatissima Ani-
ma, si Te interpellare fas est, & si quid huma-
narum rerum ad notitiam Tui admittere
dignaris, auditamen has querelas nostras, &
quas Tibi voces cum lacrymis profundimus.
HENRICE. RAHNI. VALE.
ET. SALVE. SALVE. INQUAM. ET.
POSTREMUM. VALE. NOS. EO.
ORDINE. QUO. DEUS. ET. NA-
TURA. JUSSERIT. SEQUEMUR.
HENRICE. RAHNI.
VALE.

ILIGET.

AD
Virum Excellentissimum
D. DAN. GEORG. MORHOFIUM
Funeri Rhanejano parentantem.

Urget adhuc Niobe natorum fata superstes,
Saxeа constituit dum monimenta dolor:
Lutea purpureum deplorat Memnona mater,
Et lacrimas nitido fecit inesse polo:
Tuq; Rhanejanos MORHOFI exponis honores,
Et tanto ploras invida fata viro;
Jamq; tuis lacrimis tibimet monimenta sacraſti,
Quando tuum in RAHNI vivit honore decus.
Sic pietas RAHNI claret pietate MORHOFI,
Amborum laudes Mnemosyneq; stupet.
Quo poterat scriptore alio jactura probari,
Quam Rhanejano funere Diva facit,
MORHOFO nisi, cui dudum mandavit Apollo
Parnassi curam, vindiciasq; Themis;

F.
Adamus Tribbecho.



D-D-A-L-GEORG-MORPHOTIN
Lungenkranke und obstruktive Lungenerkrankungen


Die Lungenkrankheiten der Kinder und Jugendlichen
Sowohl konservativ als auch operativ
Gesamtobereitung der Kinderärzte und Kinderärztinnen
Sic die Kinderkrankheiten nicht nur von den Erwachsenen
Durch die Kinderärzte und Kinderärztinnen werden
Gesamtobereitung der Kinderärzte und Kinderärztinnen
Wiederholung der Kinderärzte und Kinderärztinnen
Einführung in die Kinderärzte und Kinderärztinnen

Friedrich A.



ti animi characterem vide, qui arbitro suo & duce de-
stitutus ultrò ea, quæ virtutis munia sunt, exequitur, nec
tam aliis paret, quam sibi ipsi. Non ille ad studia inania
frivolaq; abripi sepassus est, nusquam inter homines
perdendo cibo natos, poculorum remiges, & qui-
bus plus palatum, quam cor sapit, ut ajebat Cato, dies vel
noctes consumere visus est, non inter Omphalas sedet
Hercules, aut in Gynæco Achilles. Nec inter illos erat,
qui turpissimâ quâdam vitæ securitate & foedæ im-
mersæ pigritiæ omnia præterita, instantia, futura pari
oblivione dimittunt, quod in Vitellio notat Tacitus. Ille
sibi similis semper, à se i. e. à bonâ mente nunquam
ab ludens, eò curas suas, eò sedulitatē suam omnem im-
pendit, ut sapientior non solu fieret, sed & melior.
Noverat duobus illis sensu ulorum nimirum atq;
aurium subintrare, qu minum rerū potissi-
mum cognitione en rationib^o. Ocu-
los quidem S. divagantem &
penetra univer si ferri per hoc
civilis ex & prudentiæ
sequi velit, actionem af-
strare necel lationes lu-
habent, probi travism
paucarum hora istrum
præceptionū cum um
pla accipient, atq;
itaq;





n factæ Philoso-
bebat animum, illâ
nplatione rerum.
perlustrasset, ad
latifundium se
civem dixit. Lon-
iebat, quam vulgo
ingenia, qui Phi-
jungunt divertio,
satis capiant, nec
cedat, angustis
ribunt, & inter-
terminant. Ingres-
nuris prudentissi-
ea, partim etiam
uibus nunquam.
a dignissimi, & ma-
rum nomina. Ver-
sa libero planè &
pretum fastidiosis
legum sensu profi-
lamitas, nam fateri
multitudo, inge-
rum novitas, illa-
tas, supervacuarū
explicandis, quam
seculum, & in qui-
bus